



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Schyrum sive Schyrense Monachorum Benedictinæ ..., non procul à  
Pfaffenhofio Bavariciæ principum oppidulo situm: ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

fi, quæ toto anno vix scribi possent, præsertim tum, cum ab Hesperum Landgraphio ditioni amissæ restitutus esset. Tum enim Cœnobium Zuifaltense aliquoties direptum ac spoliatum, irrecuperabilia damna accepit. Abbas Uberlingam secesserat, inde tandem reversus, omnia præclare & illustravit & auxit. Negotium verò Cœnobii sui coram invictissimo Romanorum, Bohemiæ & Ungariæ Rege Ferdinando, adversus Wirtembergensem, Viennæ tam magnanimiter ac strenuè egit, præsentem etiam Ulricho Duce: ut ab ipsis regis consiliariis, secundus Monasterii, ad extremam jam ruinam spectantis, erectior æq; fundator publicè diceretur. Tandem perpetuarum litium pertæsus, redeunte in suum ducatum, ejecto prius duce, resignavit Abbatiam anno Domini 1537. seque Mochentalium recepit, ubi vixit ad annum usque Christi 1549. quo resignanti Nicolao, iterum unanimi omnium Cœnobitarum voto, subrogatus, rursusq; Abbas designatus est. Præsides verò hoc adhuc currente Jubilæo.

34. *Nicolaus Buchnerus*, patriâ Tubingensis, eligitur anno 1537. præfuit laudabiliter annis 12. Est vir doctus, cujus extat latina oratio non inveniusta, de Monasticæ vitæ laudibus. Musicus excellens, & Musicorum librorum diligens cœmptor. Reddidit Abbatiam his, a quibus eandem prius acceperat, idq; fecit anno Domini 1549. privatus nunc vivens, inter literarum studia & exercitia, quibus occupatus est totus.

**S**CHYRUM sive Schyrense Monachorum Benedictinæ professionis Cœnobium in Bavaris, non procul à Pfaffenhofio Bavaricæ principum oppidulo situm: Comitum initio Schyren-<sup>Pfaffenhofi</sup> Arnolphus <sup>sen.</sup> magnificum castrum fuisse legitur, quod construxit Arnol-<sup>Arnolphus</sup> phus Imperator, Ratisbonæ apud S. Hemeranum sepultus, qui <sup>Imperator</sup> <sup>Casti</sup> <sup>Comi-</sup> <sup>rum</sup> <sup>Schy-</sup> <sup>rensi-</sup> <sup>um.</sup> familia horum principum descendisse scribitur. In Monasterium verò conversum est hoc modo:

Inchoata erat ab Othone & Alberto nobilibus viris, solitudinemq; amantibus hominibus, in horum ipsorum Comitum ac principum Schyrensi ditione, Montanis videlicet Bavaricæ, juxta altissimum ejus provincie jugum, quod accolæ den Enttefstein



stein vocant, eremitica quædam Cella & Ecclesiola, annum Christi circiter 1077. consentientibus Othone Schyrensi Comite, ejusque uxore, Domina Haziga Aragonum Regis filia, & utriusque filii Echardo, Bernharo & Othone, principibus Schyrensis. Hac Cella jussu Ellenhardi Frisingensis Episcopi, ea tempestate ægrotantis, ac graviter decumbentis, à Pontifice quodam Polensi consecrata est. Decedente verò paulo post, ex mortali hac vita Principe Othone, anno nimirum Christi 1079. Domina Haziga, relicta Othonis conjunx, iterum jam vidua facta (habuerat enim prius maritum Hermannum Castellanum Comitem) cum filiorum suorum consensu, ex humili ac eremitarum domo ac Ecclesiola, celebre Monasterium construere, & in memoriam mariti sui liberaliter donare decrevit. Transtulit verò Monasticam sedem in paulo ameniorem locum, qui hodie adhuc à præterfluente pisculentissimo fluviolo, Vischbachau dici solet, & quatuordecim miliarib. à Schyrio, septem verò à Monaco, duobus à S. Quirini Tigurino Monasterio abest, ad pedem montis Khuezagel cognominati, in Aiblingensi districtu situs: Ubi hac adhuc tempestate duo sunt templa, quorum aliud S. Martino, alterum beate Virginis dicatum est: & præpositura Monasterio Schyrensi incorporata. Hunc locum Domina Haziga fundatrix, & pagis & vineis plurimis dotavit: in hoc loco cepit Monastica D. Benedicti congregatio: in hoc Domina fundatrix mortua & humata, ut postea Schyrum translata est. Sed nec iste locus diu Monachis placuit: post sex enim annos à prima translatione, iterum mutata est sedes: & secundo translatum Monasterium è Montanis in paulo liberiorem agrum ad Glanum fluvium, qui non procul inde in Ambarum cadit, Usenhofium videlicet, vel à ferro Eysenhofium: quod castrum nunc est Eckhiorum, antiquitatis Glanegk, à prætereunte fluviolo dictum, tribus miliaribus à Schyrensi Cœnobio situm. Illic in monte S. Petri (ubi hodie adhuc templum visitur, ab Othone Hazigæ fundatricis filio, & à Bertholdo Comite de Burggheim, ante duas aras ibidem sepultis, constructum) tertio inchoatum est Monasterium sub primo ad-

Vischbachau præpositura.

Eysenhofen

S. Petri Mons.

Bruderschaft

Chronik

Monasterium

von Glan

S. III



huc Abbate Erccenboldo. Quo loco cum sedecim annis mansum, & propter aquarum in sublimi monte S. Petri defectum, locus iste etiam parum commodus Monachis visus esset, quarto translatus est Cœnobium nuper inceptum, in ipsam principum Schyrensiū ( unanimi eorundem omnium consensu ) avitam arcem ac sedem, amplam illam quidem, sed admodum jam ruinofam, & fere desertam, ac ad extremam prorsus internationem spectantem. Hæc Schyrensis Monasterii initia sunt, & exordia certissima. Monumentorum nihil amplius ibi est celeberrimum, quam in media Ecclesia sublimis tumulus Othonis fundatoris ac D. Hazigæ fundatricis, tali à me Epigrammate honoratus:

*Hic Otho Schyrensis Comes, usq. ad sidera notus,  
Ipsius & conjunx Haziga pulchra cubant.*

*Hæc quorum meritis domus est erecta, locumq.  
Translata in quartum hunc: forte monente Deo.*

*Ossa vorare potest, quod destruit omnia, tempus:  
Ast animas secum Jupiter ipse habet.*

*Jupiter atherea qui donet ab arce quietem,  
Omnibus his letam, quos habet iste locus.*

In Ingressu domus Capitularis est alius de terra elevatus tumulus, sub quo centum ac viginti utriusque sexus Comitum ac principum Schyrensiū corpora sita, & in subterranea crypta, quasi ordine collocata esse dicuntur. Hunc tali honoravi Epigramphæ:

*Hic tumulus Schyrensiū habet Comitumq., ducumq.  
Centum & viginti corpora tecta situ.*

*Horum queso piis animabus lata precetur  
Omnia, quisquis ad hæc nota sepulchra venit.*

Nomina ipsa Comitum ac principum istorum interciderunt: sed præcipuorum hujus loci fundatorum ac benefactorum, talis extat Genealogia:



**OTHO Primus, Comes Schyrensis: vixit anno Christi 994. Is ex conjugē Domina Tuta excepit.**

<p><b>OTHO NEM</b> Secundum; Advocatum Frisingensis Ecclesie &amp; Episcopatus: qui obiit anno Domini 1079. Is ex Domina Haziga fundatrice Schyrensis Cœnobii, Regis Aragonum filia, &amp; Hermani Castellani Comitis relicta uxore, excepit</p>	<p><b>CHONradum</b> Comitem Valeyx, arcis quæ nunc Ahemstein vocatur. Is genuit.</p>	<p><b>Arnoldum</b> sive Arionulphum, Comitem Dachuni. Is ex Beatrice conjugē excepit</p>
	<p><b>Gyraltherum</b> Episcopum Treverentem.</p>	<p><b>Conradum</b> Othonem tertium, quartum.</p>
		<p><b>Conradum</b> Othonem tertium, quartum.</p>
<p><b>OTHO NEM</b> tertium: qui ex Agnete Locharingie ducissa genuit</p>	<p><b>Bernhardum</b> Primum qui tradis omnibus suis bonis Cœnobio Vischbachow, sine uxore &amp; libris, privatus &amp; cœlebs obiit.</p>	<p><b>Ecchardum</b>, qui ex conjugē Domina Petrifla excepisse legitur.</p>
<p><b>Othonem</b> Quartum: Comitem Palatinum in Wittelein spach. Is ex Domina Heilica de Lengensefeld, excepit</p>	<p><b>Hildevicum</b>, <b>Ludovicum</b>, <b>Othonem</b> qui Comites de Wolfratshausen dicti sunt, à nova sua sede: cum jam arx Schyrensis comutata esset in Cœnobium.</p>	<p><b>Bernhardum</b>, <b>Ecchardum</b> Secundum qui dimissa Repub. &amp; armis exutis privatus vixit in Monasterio, à Majoribus suis</p>
		<p>fundato &amp; à se munificè donato.</p>
<p><b>Othonem</b> Fridericum. palatinum Majorem natu: postea Bavariæ ducem.</p>	<p><b>Othonem</b> juniorem Palatinum Wittelsbaccensem, qui ex Domina Benedicta, Weerdeni Comitissa, ultimum excepit Othonem, illum, qui auxiliis Eccenberti Episcopi Bambergensis Philippum Imperatorem Barbarossæ filium interfecit. Actantum quidem de loci hujus fundatoribus &amp; primordialis: Sequitur Abbatum &amp; gubernatorum ejusdem Catalogus, qui talis est à me confusus.</p>	<p><b>Arnoldum</b> impium illum, &amp; in Schyrensem lacum ab ipsius Dæmonibus precipitatum Comitem: Omnium faerorum contemptorem: &amp; qui solus partem suam, quam habebat, in arce Schyrensi, Cœnobitis sese daturum negarat.</p>
		<p><b>Conradum</b> ducem Dalmatiæ; cuius uxor D. Uthilda vendidit Dachawarcem &amp; territorium Othoni Bavarorum duci, cum amisisset filium impuberem Conradum.</p>



1. *Erchenboldus* Primus Abbas à Gulielmo Hirsaugiensis Cœnobii præfule mittitur, cum duodecim fratribus, fundatrici Dominæ Hazigæ anno Christi 1096. Præfuit is in Vischbachaw annis sex, postea Cœnobium transfert ad Eysenhofen, consensu Conradi Comitis Schyrensis, & aliorum Dominæ Hazigæ nepotum, ubi iterum piè præfuit annis æcto. Decessit senex anno gratiæ 1111. Sub ejus gubernatione obiit Domina fundatrix Haziga Aragoniæ Regina, cujus filius Otho Comes, multis reliquiis hunc locum donavit & illustravit.

2. *Bruno* vir egregiæ nobilitatis: filius nimirum Materteræ <sup>Hirsaugia.</sup> Henrici Imperatoris, successit Erchenboldo, accitus ex Hirsaugia, quod magnificum ac potentissimum est Benedictini instituti Cœnobium, in Ducatu Wirtembergensi ad Nagoldum amnem inter Kalbium & Thermas Cellenses amœnissimo loco situm. Præfuit in Eysenhofen octo annis; postea propter aquarum defectum transtulit ille iterum, nuper inchoatum Cœnobium in alium locum, arcem videlicet Schyrensem: idque unanimi consensu Schyrensiū Comitum omnium, qui jam relicta arce Schyrensi admodum ruinosa hinc inde in aliis castris habitabant. Præfuit verò idem Bruno apud Schyrum Monasticæ congregationi similiter octo annis, & obiit tandem A. C. 1127.

3. *Ulricus* sive *Hildericus Primus*, subrogatur Brunnoni: præfuit per unius tantum anni spacium, & exauthoratur à principibus Schyrensis.

4. *Ulricus* Secundus vir nobilis admodumque religiosus, duobus tantum annis functus est munere Abbatis, & viam universæ carnis ambulavit anno 1130.

5. *Marquardus* successit Ulrico Secundo, sed non diu præfuit; vix enim completo uno anno per principes à gubernaculo amovetur: ratio literis mandata non est.

6. *Gosoldus* quinque præfuit annis, & ab administratione, fortassis non abs re, deturbatur iterum A. C. 1135.

7. *Ulricus* Tertius, vir & prudens & religiosus admodum subrogatus Gosoldo, sapienter & piè præfuit annis 25. Impe-  
travit



travit Mitram & sandalia à Pontifice Alexandro Quarto. Cæcus tantem factus, contra omnium voluntatem magistratu sese abdicans, Vifchbachuni reliquum vitæ exegit, ubi & ex hac vita emigravit, & humo mandatus est.

8. *Eberhardus* alibi *Eckardus* subsequitur unanimi fratrum consensu electus anno Christi 1160. vir natalibus quidem clarus, & genere nobilis, sed levitate & superbia infamis, quæ communia solent esse degeneris nobilitatis vitia. Deturbatur itaque à gubernaculo, anno gubernationis suæ undecimo, per Comites ac principes de Witteleinsbach, anno Christi nimirum 1171, quo duodecimo Calendarum Februarii igne combustum periiit totum ferè hæctenus tantum ligneum Cœnobium.

9. *Baldemarus* eligitur omnium favore post exauthoratum *Eberhardum*, præfuit sapienter & prudenter 32. annis. Vir Ecclesiasticarum rerum perstudiosus, hospitalis & pauperum juxta D. Pauli præceptum non vulgaris patronus. Instauravit igne collapsum Cœnobium de integro feliciter. Homo admodum sæverus, qui legitur non carne tantum, sed & adipe ad mortem usque abstinuisse. Obiit A. D. 1203.

Abbas privatam vitam turbam præfuit.

10. *Hartmannus* vir senio penè confectus, à Ludovico Barbarorum Duce vix exoratus, Abbatia clavum accepit anno, quo antecessor inter vivos esse desiit: cumque tribus annis præfuisset, iterum cessit, malens privatus vivere, quam tanta dignitate & officio conspicuus, cum tanta inquietudine.

11. *Chunradus* constituitur Abbas anno Christi 1206. consecratur in festo Simonis & Judæ præsentem Duce Ludovico. Erat juvenis simplex, sed præsentia principis excitata adolescentis simplicitas præclare sese postea exeruit, familiaremque & Ecclesiasticam rem gnayiter administravit. Sub eo Monasterium hoc Deiparæ virgini consecratum septima Iduum Octobris, ab Othone tertio, Episcopo Frisingensi, A. C. 1215. Divo Martino templum lateribus coëctis ædificavit, sacellumque omnium Sanctorum, quod dedicatum est à Patriarcha Aquilegensi. Romam ivit, unde purpuram deportavit. Palestinam voti reus iturus, ab  
Archie-



Archiepiscopo Salisburgensi voto solvitur. Præfuit annis viginti, & resignavit libere præsentibus Ludovico Bavarorum Duce, & Episcopis, Aystettensi & Frisingensi. Sub eo claruit Chunradus Monachus ac Prior, diligentissimus ac indefatigabilis innumerosorum penè librorum scriptor, & Shyrensium Chronographus, qui sibi ipsi tale reliquit Monumentum:

Inmerit                    peto quod precī                    præx perpetual  
 Chunrad                    sit & auxili                    Mater pietat  
 is.

12. *Henricus* eligitur A.C. 1226. consecratur in festo S. Mattheæ: præfuit annis 33. Extruxit turrin quadratam, sacellum S. Catharinæ, granarium, & valetutinarium, aliq; plurima, multa etiam vetera farcivit & instauravit, ab alienata redemit & recuperavit: ac etsi tunc temporis varia essent inter principes & Episcopos bella, tamen omnibus ex æquo charissimus fuit, quia hospitalis ac munificus. Resignavit tandem senio gravatus anno virginæ partus 1259.

13. *Rudolphus* Abbas in Thierhaupten (Aventinus Thierhausen vocat) vocatur ad gubernandum hoc etiam Cœnobium Schyrense, præfuit per unum vix annum, & amovetur iterum, quod inutilis esset & negligens rerum Cœnobii gubernator.

14. *Ludovicus* designatur Abbas A. C. 1260. præfuerat antea Cœnobio Frisingensi, quod Weichenstephan vocant: præfuit hic 13. annis satis negligenter; iccirco etiam parum honorifice dimissus est à principibus.

15. *Arnoldus* subrogatur Ludovico A. D. 1273. sed imperitus administrandarum rerum familiarium, (de Ecclesiasticis enim nemo admodum curiosus erat) septimo anno ab electione ultro se magistratu abdicat.

16. *Fridericus* Primas vel prior antea Ratisbonæ ad S. Emeranum, omnium suffragiis declaratur Abbas Schyrensis, anno Salutis 1281. vir in literis satis doctus, sed qui in procuranda re familiari parum erat felix: adeo ut sub eo Cœnobium ad extremam inopiam redigeretur. Vendidit plura, quam emit. Præfuit annis 10. ab administratione tandem deturbatus, Ratisbo-

Q999                    nam



nam rediit, ubi non sine ignominia dicitur ex hac mortali vita emigrasse apud S. Emeranum.

17. *Ulricus IV.* cognomento *Perchtinger*, ex Cœnobio S. Quirini in Degernsech accersitus, fecilissime præfuit annis 20. Emit vineas in Alpibus. Obiit A. D. 1311. Sepelitur in lacu Degorino, apud S. Quirinum (unde erat accitus) juxta aram S. Erasmi.

18. *Chunradus II.* cognomento *Montanus*: præfuit cum omnium dolore & querimonia 13. annis negligenter, & iccirco etiam inutilissime: Decessit ex hac vita A. C. 1323.

19. *Udalscalcus* Chunrado successit, præfuit per unum saltem annum, nectamen integrum, & ad patres suos collectus est.

20. *Ulricus V.* cognomento *Leuczenauer*: eligitur anno 1324. præfuit annis sex & aliquot mensibus parum utiliter. Lapsus equo, expiravit A. C. 1330.

21. *Chunradus Leuczenauer* germanus frater Ulrici V. ex Abbatate Wiltzburgensi constituitur rerum hujus etiam Schyrensis Monasterii pater, ac administrator, unanimi Conventualium consensu. Sedit 15. annis ad gubernaculum, & laudabiliter & utiliter. Consequutus est ab Imperatore Ludovico IV. Bavaro Parochiam, oppidi vicini Pfaffenhovensis ad Ilmium fluviolum siti. Senex decrepitus & imbecillis, tandem sese Magistratu abdicavit ultro.

Pfaffen-  
hoben.

22. *Wolfgangus* vir genere quidem nobilis, sed non perinde virtute, homo superbus & levis, subrogatur Conrado: præfuit inutilissime, & cum magna rerum Cœnobii jactura, 7. annis, nihil gerens memoriâ dignum, confans magnum æs alienû. Obiit A. C. 1353.

23. *Ulricus VI.* cognomento *Mersbegius*, successit Wolffgango: vir prudens reiq; familiaris administrandæ cum singulari laude ac felicitate peritissimus. Præfuit sapienter & utiliter annis 23. penè. Obtinuit apud Imperatoris Ludovici supradicti filium Ludovicum Marchionem Brandenburgensem, Ducem Bavarie ac Tyrolis Comitem (cum inquam, qui Monaci in beatæ virginis magnifica æde sepultus est) Parochiam oppidi Voburgensis, ad Danubium siti. Decessit ex hoc calamitoso seculo, anno Domini 1376.

Voburg.

24. Ulri-



24. *Ulricus VII.* cognomento *Munnenbegius*: eligitur in Ulrici VI. successorem, præsidet annis 24. fideliter & feliciter. Consequutus est à Pontifice M. Urbano VI. confirmationem supradictarum donationum Parochiæ Voburgensis & Pfaffenhovianæ. Ejus tempore Fridericus Bojorum Dux, Georgii proavus, in Capitulo principes Schyrenses (quorum centum ac viginti dicuntur illic humati in subterranea quadam Crypta) depingi curavit. Obiit anno 1400. in ipso Jubileo.

*Sepultura  
celebris.*

25. *Chunradus de Mur*, subrogatus Ulrico VII. præfuit annis 12. vir bonus & mansuetus. Ophthalmia tandem graviter laborans, Abbatiam Conventui reddidit.

26. *Chunradus V.* cognomento *Tegernbachius*, designatur Abbas, anno Christianorum 1413. præfuit annis 8. inutilissime, quibus grande æs alienum conflavit.

27. *Ludovicus Walchius* successit Conrado V. sedit ad clavum cum magno Cœnobii detrimento, per annos sex, prædia enim oppignorans, usum fructum vendidit. Oberatus itaque amovetur, anno 1427. Fuerunt hac ætate gravissima bella in Bavaria, ob hereditatem iniquè divisam, inter principes Bojorum patrueles, Ludovicum Ingolstadianum, Henricum Landshutanum, Arionistum, Vilhelmiumque, Monaci degentes. Hæc bella, & huic, & aliis Cœnobiis plurimum etiam obfuerunt: Siquidem Solone teste

*In thalamos penetrant publica damna tuos.*

28. *Chunradus VI.* cognomento *Weickmannus*, vir callidus, ac ingenio versuto præditus, pertinaciæ tamen singularis. Habuit graves concertationes cum conventu, difficulter tandem compositas per arbitros, autoritate Concilii Basiliensis datos, Joannem Grinobaldum Vicarium Frisingensem, & Joannem Tulbegium. Præfuit parum utiliter annis 9. Amovetur tandem anno 1436.

29. *Joannes Degernebegius* vir eloquens ac singularis industriæ diligentæque, successit Chunrado sexto, præfuit annis 13. satis negligenter, augens æs alienum plurimum. Condidit duo sacraria, & supremæ aræ delubrum. Obiit anno 1449.

Q999 2

30. Wil-



30. *Wilhelmus Kienberger* ex Tigurino, apud Bavaros, sitolacu, ac Cœnobio evocatur, ad Schyrense Monasterium gubernandum: præfuit annis 18. Fuit vir religiosus & eruditus, qui studiofa librorum omnis generis coëmptione Bibliothecam præclare auxit, observantiamque secundum D. Benedicti institutum Cœnobio huic intulit: valedixit vitæ mortali, & hominum, in terris viventium, consuetudini, anno Christi 1467. Sepelitur in medio Ecclesia propè tumulum fundatorum, Othonis Comitiss & D. Hazigz.

31. *Georgius* cognomento *Sperlin* ex parrochia Schyrensi pauperibus quidem, sed honestis tamen parentibus ortus, vir multis præclaris virtutibus præditus, successit Gulielmo. Præfuit sapienter & diligenter, utilissimeque 22. annis: quibus & Bibliothecam præclare auxit, & ædificia plurima pulchrè construxit, sacellum videlicet D. Joannis Baptistæ, sacarium minus, Zytharium seu præætorium, & ambitus duas partes costo latere concameravit. Muro & pariete latericio cinxit hortum. Magnam æris alieni partem dissolvit, calculo laborans crebro, decessit tandem, anno ætatis suæ LXVIII. Christi verò anno 1489.

32. *Paulus* cognomento *Preu*, patria Voburgius, ex celebri oppidulo ad Danubium sito oriundus: successit Abbati Georgio, vir integer & religionis Benedictinæ observator imprimis diligens. Præfuit 16. annis. Obiit Monaci in conventu fratrum Minorum, apoplexia, sexagenarius, anno Christi 1505. Dominica post conversionem S. Pauli. Corpus Schyrum defertur, ac honorifice sepelitur. Erat eo tempore gravissimum bellum in Bavaria: mortuusiquidem Georgio Duce Landishutano absque maribus, Albertus Monacensis princeps adire (jure quidem) hereditatem voluit; sed Rupertus filius Philippi Palatini Rhenani, Frisingensis quondam Episcopus, nepos ex sorore, & gener ducis Georgii, contra fas editumque Maximiliani Imperatoris Landishutam, Burghusum, Neuburgum, Rhenos (vulgo Rheyne vocant) & alia pleraque oppida, ope & conspiratione quorundam procerum vi occupat. Sic miserè Bavaria ferro flammaque devastata est, nec Templis, nec Cœnobiis parsum in eo rerum statu est: donec Ruperto ejusque uxore

*Bellum Bavaricum.*

*Landshut. Burghausen Neuburg.*

Bibliothecæ

Chronolog

Monasterii

van Geyn

S. III



uxore authoribus tanti belli fato functis, per Maximilianum Imperatorem, in conventu Principum, Colonienſi pax reddita & firmata eſt, eodem, quo Abbas iſte rebus humanis exemptus eſt, anno.

33. M. *Joannes* cognomento *Turbeyt* ex Patavino Episcopatu oriundus, communi omnium ſuffragio electus, ſubrogatur Paulo: anno 1505. Vir qui honeſtis literis & Philoſophiæ, uſque ad ſupremam palmam, in Ingolſtadiano gymnaſio operam dedit. Rerum Eccleſiaſticarum reiſque domeſticæ & familiaris ſupra quam dici poteſt diligens, & peritus gubernator: unde & grande æs alienum à majoribus conſlatum, duo nimirum aureorum millia diſſolutum iri curavit. Opera incepta ab antecellore ſuo perfecit: ipſe de integro & ex fundamentis pleraque extruxit. Portas utraſque cum domibus cohærentibus magnificè ampliterque ædificavit, fuerat prius præpoſitus Viſchobachuni, ubi egregium theſaurum accumulavit, quod nemo alius antea fecerat. Plurimum auxit cœnobii Clinodia, & aurea argenteaque monumenta. Vir vitæ integritate nemini ſecundus, principibus chariſſimus, præcipuè Alberto principi: prudentiſſimo ac eloquentiſſimo, Maximiliani Imperatoris genero, qui per eum pleraq; D. Benedicti Cœnobii, ad ſeverioris religionis (cujus ipſe perſtudioſus erat) jugum revocavit. Literarum & literatorum omnium fautor & amator maximus. Aventini Chronographi Bavorum ſingularis Mecenas. Præfuit laudabiliter & optime, annis 30. Deceſſit ex hac lacrimabili vita octogenarius apoplexia, 18. Cal. Aprilis, A.D. 1535. Sepelitur in medio templo præpe Maſolæum fundatorum.

34. *Andreas* cognomento *Geiſhoverus* vir religione & devotione inſignis; ſucceſſit rebus humanis exempto Abbati Joanni. Bene præfuit annis XII. Obiit 21. Decembrium Anni à nato Chriſto 1547. Sepelitur in medio ferè templo cum præclaro monumento, quod illi pio affectu erigi fecit ſucceſſor.

35. *Joannes Chriſtoſſomus* cognomento *Hirſbegkius*: vir procera corporis ſtatura præditus, literis verò & virtute claris. Eligitur anno 1547. præſidet laudabiliter hoc adhuc corrente anno 1551. Habuit germanum fratrem Paulum Hirſbegkium Sacræ paginæ doctorem



Æorem & Ratisbonensis summæ Basilicæ olim concionatorem, culus extant scripta quædam Ingolstadii excusa, quæ de ejus ingenio ac eruditione, dignum posteris testimonium perhibebunt. Huic Abbati, Domino Joanni Chrysofomo tale ego hoc ipso anno dedicavi de Ecclipsi Lunari (quam in Febuario vidimus) Idyllion Heroicum.

Reverendo in Christo patri ac Domino, Domino Joanni Chrysofomo Abbati Schyrensi in Bavaris, Domino ac Mæcenati suo S. D. Gaspar Bruschius Poëta Laureatus, & Comes Palatinus.

*Jane Chrysofome, doctorum Patrone fidelis,  
Et studiosorum fautor amande gregis.  
Si tibi tantum oci tua cura domestica linquit,  
Et potes à rebus paululum abesse tuis:  
Ut fortasse soles nonnunquam nostra redire  
Ad studia hæc, olim qua placuere tibi:  
Perlege quod venit à nobis tibi carmen, amicum  
Optat & hospitium te penes esse sibi.  
Vidimus ante dies paucos Lunaris in ipso  
Horrendas tenebras luminis ore Sacro.  
Vidimus infando sædatos sanguine vultus,  
Fulgentes auri qui prius instar erant.  
Hæc, ut non casu sunt, sed mente Deorum  
Consultata diu: sic nova fata ferunt.  
Ingentesq; trahunt secum Metamorphoses omni  
Tempore, & arumnas tristitiasq; graves.  
At quid nunciet hæc Luna obscuratio nobis,  
Accolimus miseras qui Babilonis aquas:  
Id brevibus numeris & agresti carmine nuper  
Diximus: ut nobis noster Apollo dedit.  
Est munus nimium fortasse exile, tuoq;  
Indignum vultu: si tibi id ipse feram.  
Sed jubet hoc facere audaciter me, notus uterq;  
Weissenhornius & charus uterq; tibi.*

Ergo

Bruschij

Chronolog  
Monasteriorum  
vni Germaniæ

S. LXI



*Ergo brevem, ac scriptum de re prestante libellum,  
 Qui te pulchrum aliquid forte monere potest:  
 Accipe clementer, Pater o Reverende, & amanter,  
 Inq. tuis charis rebus habeto: Vale.*  
 In Calendis Martiis Anni Jubileum  
 insequentis.

*In Lunarem Ecclipsin Anni à nato Christo 15511*  
*Idyllion Bruschi.*

Si verum fuit ulla tempestate, quod inquit  
 Magnus Apostolus ille Dei, qui vixit ad usque  
 Tempora Trajani, Solymarum vidit & urbem  
 Dilectam patriam vastari à milite sævo,  
 Vidit & innumeras alias cladesque facesque,  
 Iræ exempla Dei, & justa Monumenta furoris:  
 Si verum fuit inquam ullo istud tempore, verum  
 Ut nimium fuit: est ausus quod dicere veri  
 Vir pius ille DEI, in diro positum esse maligno  
 Hunc omnem cæli positum sub fornice Mundum,  
 Quo nihil est immundius, & magis impium ubique:  
 Verum equidem nimis hæc est nostra ætate, ubi nullus  
 Virtuti locus amplius est, Dominiq; timori:  
 Arbitrio sed quisque suo vivitque, facitque  
 Et sine fronte, omni procul abjectoque pudore,  
 Quod Sacræ prohibent leges, quodque ira furentis  
 Non injusta Dei tantis ulciscitur ausis;  
 Ut totas gentes, & totas deleat Urbes  
 Sæpe furens: veluti Trojanam funditis urbem,  
 Et Solymas arces delevit, & ignibus olim  
 Extinxit subitis Sodomam, sociamque Gomorrham.  
 Munus namque suum quis nunc facit? aut quis honesti  
 Amplius est studiosus, ut olim secula prisca  
 Præclaros habuere viros, virtutis amantes  
 Tantopere, nil non facerent virtutis ut ergo,  
 Quin mortem sæpe oppeterent virtutis ut ergo.

1. Joan. 9.

Seculani  
 nostrum o-  
 mnium pes  
 sumum.

Quis



Quis non summus, & infimus, hac ætate, Deosque  
 Atque Deum leges contemnere novit? & ipsis  
 Offendit medium digitum monitoribus, alto  
 Qui de suggestu Domini præcepta tonantes,  
 Plenâ voce jubent meliori attendere vitæ:  
 Ni vindictam iramque Dei sentire velimus.  
 Quæ non ufuris, quæ non plenissima furtis  
 Sunt loca, & injustis odiis, sævisque rapinis?  
 Imò libidinibus vetitis, & cœdibus atris,  
 Quin & adulteriis, quæ nunc prope honesta putantur  
 Esse, apud hos verò imprimis, qui hæc ipsa vetare  
 Et gladio ulcisci debebant impia facta.  
 Quid proceresque ducesque nisi aut venabula curant  
 Et sua tertia? contemptis studiisque librisque:  
 Aut prava otia tantum, inconcessasque subinde  
 Mille voluptates votisque animisque sequuntur,  
 Securi plebis, securique officiorum  
 Ad quæ divina positi voce esse videntur.  
 Doctores verò multi aut Idola tuentur,  
 Erroresque graves defendunt vindice lingua:  
 Aut plebi pravis exemplis sæpius obsunt,  
 Aut non objurgant plenis mala crimina buccis,  
 Ac ad multa tacent hominum delicta, canes ceu  
 Omnino muti, nihil & latrare valentes.  
 Quod si quid de plebe velim huc adducere: certe  
 Nec satis oris erit mihi, nec tantum unius usus  
 Sufficiet linguæ. Centum vix dicere possent  
 Quanta sit impietas, quam perversissima Plebis  
 Vita, mali quam plena doli, quam plena veneni?  
 Deteriore loco non possent omnia stare  
 Quam stant nostrâ ætate nimis duraque malaque.  
 Sic ut conveniat nostris hæc ipsa diebus  
 Non male vox, à sancto olim prolata Joanne:

Contemptus  
 ministrorum  
 Ecclesiæ.

Peccata  
 sexti præ-  
 cepti im-  
 pune ab-  
 eunt.

Studia  
 Principum

Doctorum  
 silentium  
 noxium.

Plebi ma-  
 lita sum-  
 ma.



Totus enim in diro situs absorptusque maligno,  
 Esse videtur ita immundus super omnia Mundus.  
 Omnia sunt vitiosa, & sordibus undique tecta:  
 Vix tot in orbe boni, quot sunt sacri ostia Nili.  
 Omnes devia turba fumus, peccavimus omnes  
 Atque caremus honore gravi, in quo condidit ipse  
 Nos pater æternus, cum terræ prima locasset  
 Fundamenta, lutoque suum cænoque vigorem,  
 Inflaret, similesque sibi nos conderet omnes.  
 At redeamus ut inque viam, reparemus honorem,  
 Amissumque aliquando, Dei effugiamus & iram  
 Justis conceptam causis modo: voce monemur  
 Non modo Apostolica (quæ semita vera Salutis  
 Monstratur) signis, sed prodigiisque Deorum,  
 Ac variis monstris. Hinc nuper euntibus annis  
 Vidimus hinc inde horrendos ardere Cometas,  
 Et plures Soles, & concursantia cælo  
 Agmina, & instructas pedumque equitumque cohortes:  
 In variisque locis stagnantes sanguine fontes,  
 Quin & monstrosos partus volucrumque hominumque:  
 Ac complura alia, his brevibus vix apta Camenis.  
 Ut fileam tristes concursus siderum, in arcæ  
 Æthereæ: quin tot Solis Lunæque labores.  
 Sic ille ipse dies, hodie qui venit ab ortu,  
 Et vicinus est in avitis lucifer umbris,  
 Triste novumque aliquid secum portabit ab axe:  
 Apparebit enim tetra obscuratio Lunæ  
 Totius, in multis qualis non extitit annis.  
 Magnarum rerum secum tractura ruinam,  
 Interitus Regumque ducumque. Immitia fata  
 Tristitiasque graves multorum, consiliis qui  
 Reges atque Duces soliti sunt ante juvare.  
 Istud Atlantiades hodiernæ Eclipsos hospes,  
 Et Mars in quarta Cæli statione triumphans,

Rrrr

Ambo

1201.3.

Dum Tomi  
in hinc in



*Siderum  
maligna  
vii.*

Ambo infelices, immites ambo minantur.  
Sed nec falcifer ipse Senec (qui hoc incidit anno  
In dulcis vitæ stationem) omnino quiescet:  
Aut vires non exeret has, quarum est sibi pulchre  
Conscius, ille vorax hominum interfector, & hostis.  
Morborum genera ille trahens quam plurima secum  
Præcipue mortes invenum accelerabit, ubique  
Amisam faciens prolem lugere Parentes.  
Et quia principium tenet anni luminis illa  
Obscuratio Lunaribus, quam promovet Hermes  
Siccus, & augebit positus Saturnus in arce,  
Florentis vitæ: Sata læta annique labores,  
Et spes Agricolæ ex magna parte peribunt,  
Horrendamque famem adducent mortalibus ægris.  
Hæc mala sideræ que faces, & luna minatur  
Obtenebranda hodie: Luna inquam, fida Deorum  
Interpres conceptæ iræ. Cui credere, quamque  
Audire utraque admota nos convenit aure.  
Leniet has verò curas Jovis aurea stella,  
Atque benigna Venus. Non Jupiter illæ, Poëtæ  
Quem scribunt & adulteriis, stuprisque vacare:  
Nec Venus illa procax, veritatis quæ accendit amores.  
Sed clemens pater ipse DEUS, cui filius heres  
Cælorum regni, pura est è virgine natus:  
Quem solum atque unum propter, mortalibus ille  
Et clementior est, & novit parcere rebus.  
Is moderabitur hæc mala, & iras leniet omnes  
Astrorum: nam nos amat, & quos condidit olim  
Non plane abjiciet, siquidem hæc dilectio non est  
Frigida, qua nos prosequitur Pater ille perennis.  
Igneus iste amor est, quo non vehementior alter  
Exstitit in vita: Qui sic accendit eundem  
Humani generis studio, ut nec parceret uni  
Ipse suo gnato, sed morti traderet illum,

*Dei Domini  
nu siderii.*

Quo



Quo per eum mortem nos evitare perennem  
 Possimus, qua jam dejecti in Tartara eramus.  
 Hæc est illa benigna Venus, quæ mitigat iras  
 Conciliaque patrem, Christi per vulnera nobis:  
 Mitigat & meritas pœnas, & flagra coercet.  
 Hanc venerem quicumque colis, vel scire laboras  
 Scripturasvolvendo pias, quas concio cœli,  
 Turba Prophetarum nobis abitura reliquit:  
 Quas & Apostolici proceres auxere, Dei que  
 Filius ipse ingenti confirmavit honore.  
 Huic inquam quicumque faves, quicumque ministrum  
 Te sociumque facis: fac id quoque quæso, & eandem  
 Sic placare & in officio retinere perenni  
 Tota mente stude Venerem: ut quæ rebus amanter  
 Condolet humani generis, miserisque malisque  
 Non fremere irascique diu velit: obvia sed sit  
 Undique propitiis radiis, & luce serena.  
 Hanc totis omnes animis studeamus amare  
 Tam blandam Venerem. Huic instemus nocte dieque,  
 Ingenuis præcibus, ne nos aut deserat unquam,  
 Aut transformari sese patiat in iram:  
 Sed maneat clemens semper, fiatque subinde  
 Et clementior atque malis magis obvia nostris.

XIX & XX Febr. Anni 1551. Ingolstadii in  
 ædib. Weissenhornianis faciebat Author.

**Conclusio Monasteriorum Germanicorum: ad omnes**  
 Germaniæ Abbates & Præpositos, aliosque viros  
 religiosos ac eruditos, Antiquitatumque  
 studiosos.

*Jamq; operis partem exegi, quod nostra labore  
 Immenso, omnibus ex Germani partibus orbis,  
 Et studio in patriam nunquam cessante coëgit  
 Calliopea. Hanc nulla dies, nulla obruet unquam*

Rrrr 2

Flumine